



Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 44. Ostenditur Iansenium solum voce tenus negasse possibilitatem puræ naturæ, re autem ipsa concessisse puram naturam fuisse de facto in Adamo, & in Angelis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

tionis non fuit in debita naturæ humana exaltatio. sed naturalis conditio; quam sententiam repetit, ac probat per plura capitula.

35. A fortiori ex doctrina aduersariorum sequeretur, quod fides, spes, & charitas, & alia dona gratiæ fuissent debita, & connaturalia naturæ rationali. Debetur enim naturæ rationali, vt non creetur peruersa, & mala; sed si crearetur sine fide, spe, & charitate &c. crearetur peruersa, & mala; ergo debetur naturæ rationali, vt non creetur sine fide, spe, & charitate, alijsque donis supernaturalibus. Probatur minor. Summa enim peruersitas naturæ rationalis consistit in hoc, vt constituat suum finem, non in Deo, sed in se ipsa, vel in creaturis; sed eo ipso, quod crearetur sine fide, per Iansenium, & aduersarios non posset amare Deum vt finem, sed deberet constituere suum finem in se ipsa, vel in creaturis; ergo eo ipso esset peruersa, & mala.

36. Confirmatur: nam maximum peccatum hominis, & radix omnium peccatorum est, si ponat suum finem in vita præfenti, ac temporali: eo enim ipso comparatur iumentis insipientibus, ac dicit, *Edamus, & bibamus: cras enim moriemur; nullum sit pratum, quod non pertransseat luxuria nostra &c.* eo ipso iudicatur stultum esse mori pro patria, vel pro virtute, cum summa stultitia sit amittere finem pro medijs; eo ipso iudicatur pro vita conseruanda violandum ius, & qualibet perpetranda, cum nihil non sit faciendum, quod euidenter cognoscatur vt utile ad finem; sed est connaturale homini, vt non creetur cum necessitate faciendi hoc maximum peccatum, & eligendi vitam brutalem; si verò crearetur sine fide, iuxta principia aduersariorum crearetur cum tali necessitate; ergo naturale est homini, vt non creetur sine fide. Sed infra magis patebit rationes aduersariorum non solum probare dona gratiæ esse innegabilia naturæ innocenti, sed etiam esse debita, & naturalia, adeoque euertere propriam rationem gratiæ.

QVÆSTIO XLIV.

Ostenditur Iansenium solum voce tenus negasse possibilitatem puræ naturæ, re autem ipsa concessisse puram naturam fuisse de facto in Adamo, & in Angelis.

1. Inferri potest ex dictis, quod Iansenius licet voce tenus neget puram naturam esse possibilem, tamen re ipsa docet puram naturam fuisse de facto in Adamo, & in Angelis, ac negat illos fuisse eleuatos per dona supernaturalia, & per gratiam propriè dictam.

2. Probatur: nam nomine puræ naturæ intelligimus naturam sine peccato, & cum purè naturalibus; sed Iansenius re ipsa docet Adamum, & Angelos fuisse creatos sine peccato, & in puris naturalibus; ergo &c. Proba-

tur minor: quæ sunt purè debita naturæ sunt purè naturalia; sed Iansenius re ipsa docet, quod Adamus, & Angeli acceperunt purè debita naturæ rationali; ergo &c. Probatur minor: quæ sunt necessaria ad hoc, vt natura rationalis non sit peruersa, & mala, sunt purè debita, & naturalia, cum proculdubio cuiuscunque naturæ, ac multo magis naturæ rationali debeatur, & sit connaturale, vt non creetur à Deo peruersa, & mala; sed Iansenius docet Adamum, & Angelos ita accepisse fidem, spem, charitatem, integritatem naturæ, vt hæc sint naturæ rationali necessaria, ne sit peruersa, & mala; ergo Iansenius docet, quod licet Adamus, & Angeli fuerint creati cum omnibus his, tamen fuerunt creati in puris naturalibus, adeoque de facto data sunt pura natura. Iansenius igitur, & Baneus licet verbis negent possibilem esse puram naturam, re, & secundum definitionem, puram naturam admittunt etiam de facto, ac negant naturam fuisse eleuatam, tum in Angelis, tum in Adamo, tum etiam in nobis. Natura enim rationalis per hoc, quod in prima conditione accepit purè necessaria, ne sit peruersa, & mala, non eleuatur, sed constituitur in statu debito, cum debeat ipsi, vt non creetur peruersa, & mala, & ipsa iam creata debeat Deo, & sibi, ne per peccatum faciat se perueriam, & malam; sed Iansenius docet sanctitatem, fidem, spem, charitatem, integritatem &c. esse necessaria naturæ rationali, ne sit peruersa, & mala; ergo natura rationalis in Adamo non fuit eleuata, accipiendo sanctitatem, fidem, spem, & charitatem; ergo etiam nos, dum in iustificatione per Christum, recuperamus sanctitatem amissam in Adamo, non eleuamur ad aliquid indebitum naturæ innocenti, sed solum ad aliquid indebitum naturæ peccatrici, ac recuperamus purè debita, & connaturalia naturæ innocenti.

3. Hinc vterius inferitur, quod talis eleuatio, & eleuatio, quam Iansenius ponit in natura innocente ante lapsum, qualis est libertas, quam ponit in natura lapsa. In natura lapsa ponit solam libertatem à coactione, negat libertatem à necessitate, seu libertatem indifferentiæ, adeoque ponit libertatem necessitatem ad vnum; sed libertas necessitatem non est libertas; ergo in natura lapsa ponit libertatem, quæ non est libertas, & abutitur nomine libertatis ad tegendam falsitatem velamine veritatis. Proportionaliter in natura innocente ante lapsum ponit gratiam debitam naturæ etiam ex iustitia, & necessariam, ne natura sit peruersa, & mala; sed gratia debita præsertim ex iustitia, non est gratia, cum ad gratiam iuxta doctrinam Apostoli ad Rom. 4. requiratur, vt non detur ex debito; ergo in natura innocente ponit gratiam, quæ non est gratia. Sicut verò ad tegendum suum errorem de libero arbitrio, dum opponitur, quod est de ratione liberi, vt non sit necessitatum, distinguit, vt non sit necessitatum ne-

cessitate coactionis, concedit; vt non sit necessitatum necessitate opposita indifferentiæ, negat; sic ad tegendum suum errorem de gratia, dum opponitur: est de ratione gratiæ, vt non sit debita, distinguit: vt non sit debita, meritis, concedit; vt non sit debita naturæ, negat. Vtraque distinctio est commentitia, & vana, & inuenta ad obrudendos errores Calvinianos, & Pelagianos sub nominibus Catholicis. Nam & est de fide, ac definitur ab Innocentio X. quod ad merendum, ac demerendum etiam in statu naturæ puræ non sufficit libertas à coactione, sed requiritur libertas à necessitate, seu libertas indifferentiæ: & est certum, quod ad gratiam supernaturalem, & eleuantem naturam, quam gratiam Christiani fatentur, non sufficit, vt sit indebita meritis, sed requiritur, vt sit indebita naturæ.

4. Iansenius ad probandum vtrumque figmentum vtitur eadem fallaci ratione argumentandi. Figmentum libertatis necessitatis probat ex eo, quod Sanctus Augustinus, alijque Patres, quos citat, innumeris locis dicunt voluntatem eo ipso, quod non cogitur, esse liberam, nec faciunt mentionem indifferentiæ. Figmentum gratiæ debitiæ naturæ probat lib. 1. de pura natura, cap. vltimo ex eo, quod Sanctus Augustinus sæpe doceat id, quod non debetur meritis præcedentibus, eo ipso gratuito dari, & esse gratiam, nec requirat ad gratiam, vt sit indebita naturæ.

5. Fallacia vtriusque argumenti est manifesta. Primo enim, ex eo, quod Sanctus Augustinus innumeris locis aliqui non affirmet, non sequitur, quod illud neget, præsertim cum non desint loca, in quibus expressè affirmat. Secundo quia Manichæi, contra quos Sanctus Augustinus probat liberum arbitrium, dicebant voluntatem ideo non esse liberam, & indifferentem, quia à natura quadam mala cogitur ad peccandum; ergo Sanctus Augustinus statim, ac probauit, quod non cogitur, infert, quod voluntas, cum remaneat indifferens, remanet libera; ergo non negat, sed supponit ad libertatem requiri indifferentiam, quam alijs etiam locis expressè ponit. Pelagiani, & Semipelagiani, contra quos Sanctus Augustinus defendit gratiam, dicebant gratiam non præuenire merita, sed meritis reddi; & contra hos S. Augustinus probat, quod si redditur meritis, non est gratia, cum detur ex debito; ergo supponit ad gratiam requiri, vt non detur ex vilo debito. Et licet aliquando solum exprimat debitum operum, non autem debitum naturæ, tamen non desunt loca clarissima, in quibus expressè docet tanquam certissimum dogma ad gratiam requiri, vt sit indebita etiam naturæ. Lib. enim 2. ad Bonifacium Papam contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 2. loquens de Manichæis, & Pelagianis dicit: *Gratiam Dei simul oppugnant. Non Manichæi meritis naturæ bonæ, Pelagiani meritis voluntatis bonæ perhibent diuinitus subueniri. Illi de dono perseverantiæ, cap. 8. Numquid ergo hominum duæ naturæ sunt? absit. Si duæ naturæ*

essent, gratia vlla non esset. Nulli enim daretur gratuita liberatio, si naturæ debita redderetur; ergo Sanctus Augustinus ad rationem gratiæ requirit, vt sit indebita, non solum operibus, sed etiam naturæ. Didicerat autem vniuersim repugnare gratiæ, vt sit debita, ab Apostolo, qui ad Rom. 4. probat Abraham non fuisse iustificatum ex operibus, sed ex fide, quia alioquin iustitia data fuisset Abraham, non ex gratia, sed ex debito, dicens: credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei autem, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei; ergo iuxta Apostolum repugnat vniuersim, vt gratia detur ex debito, siquidem contraponit hæc duo, quæ sunt dari ex gratia, & dari ex debito, & supponens vt principium per se notum, quod id, quod datur ex debito, non datur ex gratia, ex eo probat, quod si iustitia daretur ex operibus, cum daretur ex debito non daretur ex gratia.

6. Ex dictis patet prima radix omnium errorum Iansenij in materia de gratia, & libertate. Prima radix cæterorum errorum est error in ipsa definitione libertatis, & gratiæ. Existimat enim ad essentiam libertatis meritoriam, ac demeritoriam non requiri indifferentiam, & ad essentiam gratiæ non requiri, vt sit indebita naturæ; sed ex Aristotele in Poster. quem omnes sequuntur, definitio, atque essentia, subiecti est primum principium totius scientiæ de subiecto; ergo Iansenius errat in ipso primo principio totius doctrinæ de gratia, & libertate; sed vt idem Aristoteles aduertit lib. 1. de Cælo, tex. 33. *paruus error in principio, in progressu fit maximus, & in fine, eo pacto, quo paruus error, & parua deuiatio in principio huius, deducit ad terminum maximè distantem à termino intento; ergo non est mirum, si Iansenius in progressu incidat in plurimos, & grauissimos errores de gratia, & libertate. Principium enim licet mole paruum, virtute est maximum, vt potè continens virtualiter omnes sequelas, & omnia principia; ergo licet error in principio videatur paruus, virtute est maximus, ideoque cum principium dilatatur in varias consequentias, etiam error dilatatur, & crescit.*

QUÆSTIO XLV.

Virum vltimus finis totius vniuersi, ac præsertim naturæ rationalis sit Deus, ut cognitus, & amatus?

1. Videtur non esse: primo quia nullum totum habet pro vltimo fine bonum particulare partis, eo pacto, quo totus homo non habet pro vltimo fine bonum particulare oculi, vel auris, quæ sunt partes hominis; sed cognitio, & amor Dei sunt bonum particulare solius naturæ intellectiue, quæ est pars mundi; ergo &c.

2. Secundo omne totum constitutum ex parti-